

presbytero Henrico, ut supra factam, & eidem electioni consensit, & suam auctoritatem, & suae Aquensis Ecclesiae interposuit decretum. Necnon eundem presbyterum Henricum de dictis rectoria, & administratione, & omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus ad ipsam Ecclesiam spectantibus cum annulo suo aureo legitime investivit. De quibus omnibus, & singulis tam dictus D. Episcopus, quam etiam dictus presbyter Henricus investitus praeceperunt fieri publicum instrumentum sigillo ejusdem D. Episcopi impedimenti munitum.

Guido, Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes, dilectis nobis in Christo fratribus Gulielmo de Rolliatis rectore Ecclesiae s. Mariae de Quinzano de Nitia nostrae Diocesis salutem in Domino. Cum confirmaverimus electionem factam per Canonicos Aquensis Ecclesiae de Presbytero Henrico Guarnerii dudum ministro Ecclesiae de Castronovo Incisae ad Ecclesiam s. Hyppoliti de Bellomonte de Nitia dictae Diocesis tum vacante Rectore per privationem factam per nos de fratre Milano de Zoppis, ultimo rectore ipsius Ecclesiae, & curam animarum dictae Ecclesiae sibi commiserimus, ac eundem presbyterum Henricum investiverimus de omnibus juribus spiritualibus, & temporalibus spectantibus ad Ecclesiam supradictam: ideo tenore praesentium tibi committimus, & etiam sub excommunicationis poena praecipiendo mandamus: quatenus dictum presbyterum, Henricum sic per nos confirmatum inducas in corporalem possessionem dictae Ecclesiae, & omnium jurium spiritualium, & temporalium spectantium ad eandem, & eum sic inductum auctoritate nostra, defendas contraditores quoslibet, & rebelles per censuram Ecclesiasticam compescendo. Quibus in praemissis, & quolibet praemissorum tibi committimus nostras vices. In quorum testimonium praesentes fieri fecimus nostro sigillo munitas. Datum in Castro nostro Bestagni, die XI. junii, anno Domini MCCCLXVII. indict. V.

*Collatio Ecclesiae Parochialis s. Stephani Castrinovi Incisae Christoph. Arnutio Monacho s. Petri de Burgolio Aqen. Dioc.*

331

MCCCLXVIII.

Jacobinus ex Marchionibus Incisae, Canonicus Aquensis, R. in Christo P., & D. Guidonis, Dei gratia Aquensis Episcopi, & Comitis in spiritualibus Vicarius Generalis dilecto nobis in Christo fratri Christophoro Arnutio de Alexandria, Aquensis Diocesis Monaco Monasterii s. Petri de Burgolio, Ordinis s. Benedicti dictae Diocesis salutem in Domino. Exigentibus tuarum virtutum meritis, super quibus apud nos fide dignorum testimonio multipliciter in Domino commendaris, i ducimur, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Hinc est quod nos intuitu Dei, & tuorum praemissorum meritorum tibi volentes facere gratiam specialem, visis, & receptis literis tibi concessis a tuo Majore, quarum tenor talis est. Noverint universi, & singuli praesentes literas inspecturi, quod nos frater Daniel de Guaschis, Dei, & Apostolicae Sedis gratia Abbas Monasterii s. Petri de Burgolio Dioc. Aquensis

Ordinis s. Benedicti tenore praesentium auctoritate qua fungimur in hac parte omni modo, & jure quibus melius possumus liberam licentiam, & auctoritatem concedimus, & concessam esse ordinamus fratri Christophoro Arnutio de Alexandria ibidem praesenti subdito nostro Monacho, ut possit & valeat recipere, ingredi, & acceptare quamcumque Ecclesiam curam animarum habentem a quocumque legato, Archiepiscopo, Episcopo, & Abbate, & specialiter Ordinis praelibati, ad quem eligitur, vel assumetur per electionem Canonicam, vel per collationem cujuslibet sui superioris eidem collatam intuitu meritorum suorum, & ad ipsam electionem, seu Ecclesiam, ad quam eligitur, & canonicè assumetur, vel sibi conferatur, vel aliter sibi debite provideatur, se transferre, & in ipsa Ecclesia valeat libere residere, ac etiam debitam curam animarum exercere. Insuper concedimus sibi, quod possit esse Monachus, & Clericus praebendatus cujuslibet Ecclesiae, & Monasterii dicti Ordinis s. Benedicti ordinate receptus, ac etiam Canonicus praebendatus a quocumque legato, Archiepiscopo, Episcopo, & Abbate, ac Priore Canonicè electis, & gratiam s. Matris Ecclesiae habentibus ... cum omnibus dependentibus ad eandem de nostra speciali gratia, & permissione, & auctoritate praedicta. In cuius rei testimonium praesentes literas eidem fratri Christophoro supradicto concessimus, & concedimus nostro sigillo ad chordulam pendenti, & apud nos fecimus registrari. Datum Burgolii de Alexandria in claustrum Monasterii nostri s. Petri in praesentia venerabilium virorum fratris Joannis Ordinis s. Antonii, presbyteri Montanarii, Guaschi Cappellani nostri, & Michelini Guaschi testibus ad praedicta vocatis, & rogatis, f. b. ann. Domini MCCCLXVIII. indict. VI., die XVII. julii: rectoriam, & administrationem Ecclesiae s. Stephani de Castronovo Incisae Aquensis vacantem per absentationem presbyteri Stephani Revelli ultimi Rectoris ejusdem, vel aliter quomodocumque vacet, tibi conferimus ordinaria potestate, & curam dicti loci tibi compromittimus animarum. In quorum testimonium praesentes fieri iussimus nostro sigillo munitas. Actum, & datum in castro Bestagni die XIII. januarii, ann. Domini MCCCLXVIII. indict. VI., praesentibus Mathaeo Pastoris, & Gulielmo Voglino, ambobus de dicto loco Castrinovi testibus ad praemissa vocatis, & me Joanne de Quiregio Notar. &c.

*Resignatio Clericatus Ecclesiae s. Ambrosii Felizani Episcopo Aquensi, & ejusdem collatio Antonio de Cassinasco.*

MCCCLXVIII.

332

Anno Domini MCCCLXVIII., indictione VI., die ultima julii in area Castri Bestagni, praesentibus venerabilibus viris Dominis fratre Georgio Abbate Monasterii s. Juliae, Capuzono, & Petri de Guttuariis, & Thoma de Puteo de Meladio, testibus vocatis, & rogatis. In quorum praesentia, & mei Notarii infra scripti Marchettus Guttuarius ex Dominis Cassinaschi Aquensis Diocesis constitutus coram Rev. in Christo Patre, & Do-